



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Mauritii Gudeni Historia Erfurtensis Ab Vrbe
Condita Ad Reductam**

**Gudenus, Johann Moritz von
Erfurti, 1675**

In Campanam ingentem quae Erfordiae isitur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11903

De Monte S. Petri Erfordiae monib[us] cincto.

THuringorum almæ mons leniter imminet Urbi,
Petre, Tibi priscâ relligione sacer.
Qui frenas quanquam septem de montibus orbem,
Est tamen ex uno sat, puto, gratus honos.
Eheu! da veniam, qui non nisi viderat aras,
Nunc habet en etiam mons Tuusarma viros.
At preme, quas præceps dolor & coquit ira querelas,
Arma, viri se se quo r[ue]antur habent.
Tu neq[ue] tractasti claves aut retia tantum,
Immiti cinctum cui latus ense fuit.
Cum monuit tunicam gladio mutare Redemptor,
Reppete, quis gladii, subdidit, ecce duo h[ic].
Tunc neq[ue] inermis eras, aurem cum flevit in horto
Malchus, scindere Tu tempora certus eras.
Quin rursum accendunt generosam gaudia mentem,
Quod segetem laudis jam Tuus ensis habet?
Petre, ades, ac iras accingere, & arma retracta,
Et quantum possis hac quoq[ue] parte, doce.
Adstrictum nudans scabriâ rubigine ferrum,
Monte Tuo pravos perde, tuere bonos.
Ferrum nuda, inquam: claves sic tutus habebis,
Et cœli, ac magnæ Claviger Urbis eris.

In Campanam ingentem quæ Erfordiae visitur.

HAc tibi qui transis licet urbe videre, viator,
Quo viso dicas: par nihil orbis habet.
Aut bimaris credes h[ic] æra recocta Corinthi,
Aut qui tanta Rhodo fama Colossus erat.
Moles vasta ingens, majorum relligione
Ad cœtus populum facta ciere sacros.
Haud Divum in coelo sermones Jupiter audit,
Cum sibi commensos edidit illa sonos.
Collabefit motu tellus, neq[ue] continet iras
Dis sentit toties dum sua regna quat[i].

Bis

Bis tria si superant orbi miracula , septem
Ceu quondam ut numeres, æra Gerana dabunt.

Suppetiae Gallicæ ad Erfordiam.

Esse quid hoc dicam , socia est quod Gallia nobis ?
Mixtaq; sunt Aquilis Lilia Cæsareis?
Lilia mellea nunc , heu ! plus quam fellea nuper,
Cum Suecorum auxit robora vester odor.
Nunc datis Imperio sociata per arma vigorem ;
Res nova , Judicium sœpè morata meum.
Sentio jam , ducta est odiis æterna cicatrix ,
Jam cui nos hostes, Francus & hostis erit.
Marmoream sanxti nobiscum , Gallia , pacem ,
Marmore vel si quid durius orbis habet.
O utinam , quamvis toto dein mentiar anno ,
Eventu referant hac vice verba fidem !

Sacra Erfordiensium intacta fore.

O Fratres , quibus est cordi Lutherus adeste :
Heu cogar Missam credere , vulgus ait.
Mitte supervacuas curas , Erfordia , quid vis
Fas erit , ut fuerat , credere , non facere.
Missā fac missam , & monachos monachasq; sinemus ,
Purgantemq; rogam , cœlitum & cineres ,
Myistarumq; avidas aures , operumq; valorem ,
Quosq; dies minium , vel notat atra fames .
Roma sibi claves habeat , mitrasq; cucullosoq; ,
At cole tu ritus & nova sacra , licet.
Merge sitim , calice & cœnans te prolue pleno ;
Servum si retines , sufficit , arbitrium .

Institia obsidionis Erfordiensis.

Cum scelus ulcisci Moguntia pergeret armis ,
Ultricemq; manum porgeret alma Themis .
Invidus ac excors aliquis formidine vanâ
Quid facis , estne adeo pax tibi vilis ? ait .

Ci.

Bis